1

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
VERA FEBRIVM PVTRIDARVM NOTIONE

QVAM
ADIVVANTE SVMMO NVMINE
ACADEMIAE FRIDERICO ALEXANDRINAE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO FRIDERICO
CAROLO ALEXANDRO
MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI
VTRIVSQVE PRINCIPATVS REL. REL.

EX DECRETO
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
LEGITIME OBTINENDIS
H. L. Q. C.
DIE XVII IVN. MDCCLXXXVI.
PVBLICO AC PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIT

ANDREAS THEODORVS GEMEINER
RATISBONENSIS.

ERLANGAE
TYPIS KVNSTMANNIANIS.

S. R. I.

LIBERAE ET INCLYTAE REIPVBLICAE

RATISBONENSIS

SENATVI SPLENDIDISSIMO

VIRIS

PERILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS,

AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, GRAVISSIMIS,

PRVDENTISSIMIS

DOMINIS

CONSVLI

CONSVLARIBVS

ATQVE

SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS MERITISSIMIS,

FAVTORIBVS ATQVE PATRONIS

SVMMA PIETATE AETERNVM

COLENDIS

FAVSTISSIMVM REGIMEN OMNISQVE GENERIS

BONA PRECATVS

OPVSCVLVM HOC

SVMMA REVERENTIA

OFFERT ET DEDICAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR PERPETVVS OBSERVANTISSIMVS


ANDREAS THEODORVS GEMEINER

RATISBONENSIS



PROOEMIVM.

tſi quidem merito divinam, quae ex concinna corporis humani fabrica eiusque attenta conſideratione elucefcit, miramur ſapientiam, eandem tamen hanc machinam artificioſiſſime conſtructam innumeris obnoxiam eſſe morbis, triſtis nos docet experientia. Sunt quidem, qui fragilitatem corporis humani impugnantes, idque viribus reliquorum animalium corpora ſuperare contendentes, non male tum ad immenſam alimentorum varietatem, tum ad maximas climatum differentias provocant, quas ſolus fere homo illibata ferre poteſt ſanitate; verum, nec ipſa haec laudata firmitas obſtat, quo minus longe maior ſit morboſarum affectionum, quae homines infeſtant, numerus, quam quidem earum, quibus animalia paſſim et affici et interfici videmus. Connaſcuntur nobiscum morbi et in utero materno nobiscum evolvuntur, fitque perſaepe, ut qui natus nondum eſt, morbo correptus pereat. Sed et




ab incunabulis innumeri nos morbi persequuntur, quorum scilicet seminia vel in ipso corpore nostro nostrisque humoribus nasci, vel aliis in corporibus genita, nobis insciis sese insinuare noxiamque suam exserere qualitatem valent. Quam vario modo, quoque sub velamine, quibus sub mutationibus ac variis formis, Thetidis mutationes numero superantibus, ista cohors destructoria in corpore nostro se prodere, naturam suam celare ac novas induere facies possit, quisque attentus rerum aestimator facile perspiciet.

Ab antiquissimis igitur iam temporibus istos naturae inimicos accuratius observare eorumque internam indolem cognoscere, medicorum erat studium. Observarunt effectus a naturae inimicis productos et philosophico quodam ingenio praediti, ad causam eius concludebant. Sic sensim sensimque longa data opera, multos morbos, licet quidem sat diversi a se invicem viderentur, unius eiusdemque esse naturae, mutata tantummodo veste aut facie externa, cognitum est: ita, ut, postea tota morborum acies in multas quasi centurias divideretur, atque hoc modo, viribus ac armis, cuique centuriae oppositis, inimicus vel in castris quiescens occideretur, vel is vinctus ac illaqueatus ex eis eiiceretur, vel, si id ipsum per vim morbi efficere non liceret, insultus saltem eius vehementiores, quodammodo coërcerentur. Natae hinc sunt variae Nosologiae methodicae, morborum scilicet divisiones, in quibus hi in classes suas, ordines, genera ac species distribuuntur, ut sic eo facilius, quibus in momentis varii inter se morbi convenirent, verum etiam magis vel minus inter se differrent, cognosci posset. Acriter sane desudarunt hoc in labore Viri praestantissimi

optime

optime sic de scientia medica merentes, exacta signorum descriptione caventes, ne apparens morborum vel similitudo vel dissimilitudo medentem, pessimis cum aegri rebus, ad errorum avia seducat, cum praecipue in cognoscendis huiusmodi provideque diiudicandis morbis cardo fere Philosophiae medicae versetur, morbique non intellecti aut difficilis aut nulla, aut saltem fortuita sit curatio. Cavendum eo magis erit a periculoso huiusmodi errore tironi medico, quo facilior is ipse eiusdem lapsus est, quove difficilius pedem referre licet. Dum enim non nisi multorum morborum observatione attenta, eorumque exacta inter se comparatione, quae sit eorum analogia, quis typus, quis incessus, penitius perspicere et dignoscere licet, vix unquam satis et huic scientiae medicae parti operae Philiatrum impendere posse, semper fere ratus sum. Confert sane multum, ut ad hanc scientiam perveniatur, sedula auctorum lectio, qui plurimos morbos, eorumque signa, symptomata ac decursum distinctissimis verbis descripsere vivisque satis coloribus depinxere. Verum, si quis in his solum subsistens, satis sibi fecisse arbitratus fuerit, vereor ne a scopo suo, exacte scilicet morbos diiudicandi, vehementer aberret, saltem vix eminus eum attingat. Accedat scilicet, necesse est, attenta circa ipsos aegros observatio, ipsorumque morborum sollicita contemplatio, ut, quae a scriptoribus docti sumus, non solum inprimantur profundius, verum etiam, ut, quae diversis temporibus sit singulorum morborum facies, eo cognoscatur distinctius Huic praecipue studio operam dare, mea interesse ratus sum, artique salutari incumbens, non praecepta solum Doctorum debita audivi attentione, pluraque et veterum et recentiorum scripta evolvi, verum etiam



lectulis infirmorum assidens, cuncta haec attenta ruminavi observatione. Cum itaque nunc in eo constitutus sim, ut specimen inaugurale mihi edendum sit, sane non diu, quam potissimum mihi deligerem materiam, dubius ancepsque haesi, verum, circa hanc ipsam in morbis diudicandis observandam cautelam versari, non inconcinnum ratus sum. Verum cum omnes sic morbos percurrere longe pagellarum harum limites excederet, in nonnullis saltem hic considerandis subsistere satius duxi. Sequentibus igitur paginis res mihi erit cum quibusdam non adeo infrequentibus, ast generi humano maxime inimicis morbis, perquos, non rite praemissa distinctione, magnus mortalium numerus e vivis eripi potest, cum multa signa cum aliis communia habeant, et tamen morbi ipsi ideoque et methodus curandi, longe inter se differant. Praecipue ergo sequentibus paragraphis pauca de necessaria distinctione febrium sic dictarum putridarum, praecipue epidemicarum ac grassantium afferam, cum quaevis fere epidemia parum interdum malignitatis secum gerens, nomine febris putridae passim designetur, et, si secundum nomen cura quoque susciperetur, hoc modo saepius multi ex scena, nondum finito actu, abire cogerentur.


Iuvenile meum ingenium hancce materiam non plenarie exhaurire posse, facile persuasum habui, cum talis labor et copiosiorem et diuturniorem experientiam requirat, et limites huius libelli nimis circumscripti sint. Neque in pertractanda hacce materia id erat conamen meum, ut eruditum iam orbem magis adhuc erudire vellem, sed ea tantum modo, quae tum ipse vidi ac observavi, tum in perlegendis variis veterum et recentiorum scriptis inveni, enar-

enarraturus ſum. Quodſi ergo vires noſtrae admodum tenues impediant, quo minus tractationem noſtram pro rei dignitate abſolvere et L. B. exſpectationi ſatisfacere poſſimus, boni tamen ut conſulat, idque, quod adhuc deeſt, perſpicacitate ſua ſuppleat, ſemperque probe conſideret, magnum eſſe diſcrimen inter peritiſſimi ſenis producta et tyronum ſudores, ſolidam harum rerum cognitionem demum acquirere ſtudentium, vehementer rogamus.

---

§. 1.

Corporis humani machinam, ſua iam natura, variis ſubiectam eſſe mutationibus, quisque, vitae noſtrae oeconomiam obiter tantummodo contemplatus, facile perſpiciet. Primarium noſtrum elementum fere tantum tenue fluidum videtur, quod ſucceſſive magis in mucoſam abit ſubſtantiam, quae ſenſim conſiſtentior redditur, dum oſſa, cartilagines et reliquae partes firmae corporis evolvuntur, ſemperque magis ſolideſcunt, donec vel mors ſcalam frangat, vel haec ſubſtantia olim fluida in partes ſicciſſimas, fluido fere deſtitutas mutetur, ſicque ſummum ſenium rigiditatem ſenilem, ſeu maraſmum inducat. Sed et tunc demum corpus noſtrum maximis mutationibus obnoxium eſſe pergit, imo maxime notabiles ſequuntur; mors nempe et putredo, et nunc tandem corpus ab omnibus quidem morbis liberatum requieſcit, et praegreſſa putrefactione in partes ſuas difflatur. Et felix ille, qui hoc modo vitam degit, ut hanc metam attingat, hacque placida morte obeat. Plurimorum alia fors, aetate iuvenili iam ſeneſcunt, omni tempore decreſcunt, in aetate virili iam de infirmitatibus ſenilibus conqueruntur, dum ipſi, cito



viventes, omnia vitae ſtadia accelerant. Dum ſibi ſic praematuram poſt mortem mutationem contrahunt, quaeri poſſet, num non et ipſa ante mortem putredo accelerari poſſit. Si de vera putredine quis intelligat, dubia res videtur 1). Verum cum corpus noſtrum ad putredinem pronum iam ob mixtionem variis corruptionibus expoſitum ſit, etiam huius corruptionis ſigna iam in vivis interdum apparere, nemo mirabitur. Triſtem huncce corporis noſtri ſtatum paulo latius conſiderabimus; antequam autem ad ipſam huius rei explicationem accedamus, pauca de putredinis notione in genere praemittere, non incongruum erit, ex quibus ad humanum corpus applicatis, omnis rerum ac effectuum connexio eo facilius patefiet.

§. 2.

Definitionem putredinis in genere nunc traditurus, non exiguis me implicitum video difficultatibus, cum a variis autoribus variae prolatae ſint explicationes. In primis hic chemicorum opiniones in cenſum veniunt, Clariſſ. BOERHAVE de putredine dicit: 2) eſſe eam motum inteſtinum, qui pro effectu dat olea putrida, foetidosque alcalinos ſales: IVNKER 3) putrefactionem a fermentatione eſſentialiter haud differre, majorem vero ac intimiorem motus reſolventis et combinantis gradum involvere, cenſet, quo principia mobilia ſe mutuo conterunt, cöeunt, ſalisque volatilis forma ſenſim, relicta terrea portione, avolant. WALLERIVS 4) cum plurimis neotericorum putredinem pro ſpecie fermentationis

1) *Gerard van* SWIETEN Comm. in BOERH. aphor. de cognoſ. et cur. morb. Lugd. Batav. 1749. T. II. pag. 419. 420. LVDWIG. inſtit. med. clin. §. 241.

2) BOERHAVE Elem. Chem. T. II. p. 67.

3) Conſpectus Chem. T. II. p. 472.

4) Elem. Chym. phyſ. P. I. pag. 385.




cationis habuit, quae in corporibus mortuis, praeſertim ſucculentis et aquoſis, mediantibus calore et aëre excitatur, unde principia eorundem conſtitutiva mobilia in eam transponuntur connexionem, qua odor producitur foetidus, deinde vero ſenſim plane ſeparantur, relicta portiuncula terreſtri, immobili. Fermentationem eousque progreſſam, ut elementa non tam in alias compoſitiones ordinentur, quam potius a ſe mutuo ita divellantur, ut aqua et principium inflammabile in auras abeant, remanente de corpore deſtructo, praeter terram, nihil, *Putrefactionen* vocat Ill. SPIELMANNVS 5). Plures hic de putredine, et fermentatione autores allegare, ſuperfluum mihi viſum eſt, cum in genere omnes iſtae definitiones ac deſcriptiones in eo conveniunt, quod corpora tum vegetabilia tum animalia putreſcunt, ſi convertuntur, motu inteſtino et accedente calore externo, in liquamen foetens, quod ſalem volatilem et oleum rancidum, igne admoto, praebet: Vnicam tantummodo putrefactionis definitionem ex *Blancardi Lex. med.* ed. noviſſ. allegamus, in qua ſolummodo conſiſtere volumus, quae ſic ſe habet: Putrefactio eſt corporis animalis vel vegetabilis per motum inteſtinum, in calore humido, ſubſtantiam ipſius corrumpente eiusque penetralia reſerante, diſſolutio. Effectus huius diſſolutionis eſt avolatio particularum ſalinarum volatilium, oleoſarum acrium, foetidarum, aquoſarum, corruptarum, ex quibus coniunctis odor iſte putridus alcalinus cadaveroſus oritur: in iis ſaltem corporibus obſervatur putredo, quae oleoſae indolis ſunt 6), cum alcali volatile ſimplex putredinem avertere poteſt, ut ex experimentis a Pringlio inſtitutis patet. Attentionem tamen meretur etiam diſtinctio, quam BECCHERVS 7) affert, dum animalibus tantum putrefactionem *propriam* facit, vegetabilibus

5) Inſtit. Chem. p. 347.

6) GAVB. inſtit. pathol. med. § 312.

7) Phyſica ſubterranea, pag. 266.



libus vero, quippe quae ante putrefactionem plerumque *fermentant*, *impropriam* seu potius *corruptionem* aliquam putrefactioni tamen analogam.

§. 3.

Praemissa hacce generali putrefactionis contemplatione facilior erit res, eam putrefactionis theoriam in humanum corpus applicare et effectus inde pendentes ex causis suis determinare. Corpus nostrum, ut omnia animalia, ad putredinem dispositum esse, ex sua iam sequitur mixtione ac substantia: Corpora animalia prae aliis magnam copiam eiusmodi particularum continent, quae in alcalescentiam vergunt. Partes oleosae, pingues, magna quoque quantitate in iis adsunt, quas calor internus, aër humidus externus, eo magis fovet et alterat. Sed cum ex varia mixtione harum particularum, earumque diacrisi ac syncrisi et motu intestino putredo oriatur, (§. 2.) non satis mirari possumus substantiam huius ad corruptionem tam proclivis machinae, quae tamen a morte adeo brevi tempore in putredinem abit, omnibus hisce putredinem promoventibus rebus circumdatam ac iis expositam, per tantam interdum annorum seriem incorruptam manere. Cum perpetuo ac quotidie mixtio humorum talibus putredinem promoventibus rebus alterari debere videatur, dum omnia nostra alimenta, tum ex animali, tum ex vegetabili regno desumta in putredinem aut saltem quandam corruptionem proclivia sint, merito summa creatoris adoranda est sapientia, qui substantias tam facile se invicem inquinantes ac corrumpentes adeo concinne in machina humana composuit, ut nullum inde huic mechanismo inducatur damnum. Quamquam autem et summus in construendis ac miscendis corporis animalis ingredientibus observatus sit ordo ac proportio, non tamen deficiunt variae tum internae, tum externae causae, quae viribus huius tam egregie structae machinae resistunt

easque tandem ſuperant. Non mirum igitur, ſi et corpus variis iniuriis affectum et hanc putridam corruptionem experiatur. Multifarius autem eſt huius corruptionis modus ac cauſa. Cum ſola vis ac potentia vitalis motusque fluidorum inde pendens progreſſivus motum eorum inteſtinum impediat, nosque ſic ab huiusmodi corruptione praeſervet eamque avertat, facile patet, motu hoc vitali in totum ceſſante, neceſſario motum inteſtinum ſeu veram putredinem ſupervenire debere. In ipſa ſubſtantia corporis ac fluidorum et Natura humana haec fundata, communisque tandem omnium mortalium, ſoluto naturae tributo, ſors eſt; hinc non male eam *naturalem* me vocare poſſe *putredinem* mihi videor.

§. 4.

Longe aliter autem res ſe habet cum praeternaturali corporis adhuc vivi corruptione putredinoſa, quae interdum oculis noſtris ſe offert; quae, quamquam multa cum naturali putredine communia habeat, tamen non ſummum eius gradum attingit. Et nunc variae iſtae corporis noſtri contemplandae ſunt affectiones putredinoſae, quae, durante adhuc et agente vi vitali, interdum variis de cauſis in corpore noſtro oboriuntur ac conſpiciuntur, et vario modo in ſubſtantia eius ſe exſerunt. Indoles autem iſta putredinoſa vel in fluidis, vel in ſolidis, vel in ambobus ſimul haeret: porro vel omnes partes occupat, vel quasdam tantum, et ſic vel ut univerſalis morbus, vel ut particularis conſiderari poteſt: porro morbum ipſum conſtituit, vel tantummodo ſymptoma eſt. Ad partialem morbum pertinet gangraena et ſummus eius gradus ſphacelus; huc quoque referenda ſunt ulcera putrida, etc. Ex tali putredine partiali univerſam humorum corruptionem facile ortum capere poſſe, ex circulo humorum patet, dum ſcilicet particulae putridae, ex officina quaſi ſua et ipſa ſede reſorptae, in ſanas corporis partes deferuntur, et ſic totam humorum

 maſſam



maſſam corrumpere et laudabilem eorum mixtionem deſtruere poſſunt. Symptomata a putredine provenientia pluribus morbis communia eſſe poſſunt, ſic e. g. diarrhoea putrida, ſpumeſcens, urina foetens, putris, ſpumans, ſudores putridi, male olentes etc. corruptionem huiusmodi humorum plerumque denotant, de quibus prolixius agere hic ob neceſſariam libelli anguſtiam non convenit. Sufficiet hic pauca modo de univerſali corporis noſtri fluidorum corruptione, quam medici putridam nominant, enumerare, e quibus et reliqui putridae indolis morbi quodammodo declarari ac cognoſci queunt. Facile cuique patebit, in univerſali humorum corruptione ſolida non poſſe non quoque eſſe affecta: ideoque hic morbus univerſalis ut morbus et ſolidorum et fluidorum conſiderari poteſt, licet fluida praecipuam corruptionis cauſam contineant. Miſſa vero nunc corruptione ſolidorum univerſali, mihi hic praecipue agendum erit de univerſali humorum corruptione putrida a variis cauſis ac vario modo orta.

§. 5.

Omnem ſtatum putredinoſum corporis tum univerſalem tum particularem cum acrimonia quadam, praecipue ab evolutione particularum ſalinarum per motum inteſtinum oriunda, coniunctum eſſe, ex praemiſſis patet; fieri itaque non poteſt, quin fibrae muſculares natura ſua irritabiles, per contactum huiusmodi particularum acrium ad contractionem irritentur. Quodſi iam haec ad partem maxime muſculoſam hincque irritabilem corporis noſtri, ſcilicet ad ipſum cor applicentur, facile perſpicitur, quomodo huiusmodi acrimoniae in ſanguine contentae et eo delatae, hasce fibras ad velociorem contractionem irritare, ſicque febrem producere poſſint, ut adeo, ab ipſo ſanguine reſoluto variasque acrimonias continente, febrem oriri poſſe, mirandum non ſit. Si particularis ſit putredo, per circulum ſanguinis particulae acres




acres reſorbentur, totique humorum maſſae admiſcentur et ſic febrem, ceu morbum *univerſalem* excitant, ut ex gangraena patet etc. ex quibus, ut §. praeced. iam dixi, univerſalis humorum corruptio naſci poteſt. Quisque facile perſpiciet, me hoc loco tantummodo de febre, tanquam putredinis effectu, locutum eſſe, eamque potiſſimum febrem intelligere, quam Iod. Lommius 8) *continentem putridam* nominat et cui cauſam *putrefactum ſanguinem* dediſſe dicit: Verum febris ipſa interdum putredinem producere valet, dum per nimium humorum circulum ac arietationem particularum et attritum vaſorum, fluida corporis noſtri adeo reſolvuntur, ſalia et olea evolvuntur et exaltantur, ut verus reſolutorius ſtatus in humoribus appareat, ac univerſalem eorum corruptionem producere queat, quam etiam humores foetidi ex corporibus aegrorum excreti teſtantur. Sic validas febres inflammatorias tandem etiam non raro in putridas abire experientia teſtatur: Verum de hisce hic mihi non ſermo: cum iſta humorum putredo, morbus alii demum ſuperveniens ſeu deuteropathicus ſit. De univerſali igitur humorum corruptione putridae indolis coniuncta cum febre hic tantummodo res nobis erit, ſeu de febre putrida proprie ſic dicta ſeu protopathica, quam et multi autores cum SENNERTO ſynocham putridam vocant.

§. 6.

Iſta humorum corruptio, prout varias agnoſcit cauſas variis quoque nominibus ab autoribus inſignitur. Sic e. g. ſi fomes putridus in primis haereat viis, et ibi vel bilis corrupta, putrida, vel pituita accumulata ſit, tales febres nomine febr. putridae bilioſae, vel febr. putr. pituitoſae, gaſtricae putridae, meſentericae, inteſtinalis, iuxta *Baglivium*, *Hoffmannum*, *Heiſterum* plurimosque ſcriptores denotantur, cuius

8) *Iod. Lommius* Obſerv. medicin. p. 3.



cuius generis plurimae febres putridae obſervatae ſunt 9). Cauſa putredinis quoque interdum in ſanguine ipſo generari, evolvi atque latere poteſt, absque notabili contentorum in inteſtinis corruptione. Hae iure febres putridae ſanguineae nominantur 10), et a variis autoribus varie denominantur, e g ſynochus putris, febr. putrida, febr. noſodochiorum, carcerum, continens putrida, typhus, contagioſa, febr. depuratoria 11), febr. maligna proprie ſic dicta a quibusdam nominantur 12) etc.

§. 7.

Variis hisce nominibus deſignatus morbus noſter diſtinguitur, ut alii, ratione originis in epidemicum et ſporadicum, proüt nempe cauſae praediſponentes et occaſionales vel univerſales vel particulares comprehenduntur. Sporadicus non ex communi quadam cauſa, ſed ex unius cuiusvis hominis propria praediſpoſitione ac proprio vitio et errore commiſſo omni tempore et loco oritur, et iterum vel ſimplex eſt, vel complicatus: ob variorum ſcilicet individuorum diſpoſitionem et ob plures morboſas cauſas ſimul in corpus agentes et ſic morbi indolem mutantes, aut varia alia minus ſolita ſymptomata producentes. Epidemicus vero ex communi quidem ac noxia quadam univerſali cauſa profluit, et non, niſi ad tempus ſe exſerit atque tunc multos ſimul invadit mortales. Et hic morbus epidemicus vel ſimplex

9) VOGELS S. G. Handbuch der practiſchen Arzneiwiſſenſchaft etc. Stendal. 1785. T. I. pag. 366.

10) VOGEL l. c.

11) SYDENHAMI opera med. T. I. p. 198. confer. LIEUTAUD Inbegrif der mediciniſchen Praxis T. I. p. m. 59.


12) RICHTER Bemerkungen über die Entſtehung und Behandlung verſchiedener Arten von Fieber. Halle 1785. C. 6. p. 99. VOGEL l. c. SELLE med. clin. p. 22.

ſimplex eſt, quod rarius occurrit, vel complicatus plerumque, ob plures ſimul concurrentes varias cauſas, et pro varia individuali, ut ita dicam receptivitate ſeu praediſpoſitione cuiusvis corporis, ubi utique indoles peſſima et contagioſa huius morbi ſimul conſideranda eſt. Cum autem de notione febrium putridarum epidemice graſſantium hic tantummodo agamus, et harum naturam, cauſas, ſigna ac ſymptomata paulo fuſius pertractabimus, ſubiunctis tantummodo paucis de febre putrida ſporadica: antequam vero ad ipſam harum febrium notionem accedamus, pauca de febribus epidemicis ac graſſantibus in genere et per ſe conſideratis praemittamus.

§. 8.

Morbi epidemici ac graſſantes, quamquam plerumque pro ſynonimis habentur et a pluribus ſuperficialem tantummodo rerum notionem ac diſtinctionem amantibus, plerumque confunduntur, tamen omnibus rite et exacte conſideratis, notabile inter morbum epidemicum ac graſſantem diſcrimen, me, ut ſtatim probare connabor, reperire mihi videor. Sporadicum morbum non ex communi quadam cauſa, ſed ex unius cuiusvis hominis proprio vitio et errore commiſſo oriri, antea diximus. Plures autem in uno eodemque loco ac terra vitam degentes homines et plures aequales errores uno eodemque tempore pro varia data occaſione committere poſſe, quis dubitat? Hoc modo plures in uno eodemque loco et civitate ortum capere poſſunt morbi unius generis absque cauſa communi et ideo quoque morbo tali nomen morbi *epidemici* mihi non bene competere videtur, verum cum tamen multa individua ſimul invadat, nomen *graſſantis* morbi ei commodius imponitur. Si in regione vel civitate quadam, poſt tempus quoddam, delectationibus, choreis nocturnis et commeſſationibus conſecratum, plures homines luxurioſi ſimul morbis inde oriundis

 corri-



corripiuntur; communis ac consueta Bacchantium sors! tales morbosae affectiones nullo modo pro morbo epidemico habendae sunt, cum non ex communi externa causa morbus eos invaserit, sed ex commissis unius cuiusvis subiecti proprio vitio, hinc talis morbus, quamquam frequens, sporadicus tamen, sed grassans nominandus est: febr. grassantem hoc modo sporadicis multiplicatis annumerandam esse, quisque intelliget. Fatendum tamen erit, posse et debere quasi adesse causam quandam communem, morborum grassantium, verum, cui aegri incauti se ipsos sua culpa exponunt, quamve facile evitare potuissent. Sic si perfidus homo pluribus in una civitate oenopolis vinum lithargyrio infectum venderet, pluresque cives atrocibus intestinorum morbis corriperentur, aut si hiems aspera strata viarum densa glacie obduceret, frequentesque inde essent ossium fracturae, nollem tunc aut forte tantum latissimo sensu, colicas siccas, aut ossium fracturas pro morbis epidemicis habere, cum unius cuiusque sit a vino adulterato, et a lapsu sibi cavere, licet me non fugiat caussas communes allegari, cur colica sicca inter Pictones pro morbo endemio habeatur.

§. 9.

Morbus contra ea epidemicus, dicitur communis morbus, a causa communi invectus, qui vario tempore nunc in una, nunc in altera regione et pluribus locis multa individua simul invadit, cuius causa in aëre praecipue, interdum et in victu et alimentis et dispositione corporis latet, quibus in certum statum redactis, semina morbi adolescere posse videntur, et vim exercere in corpus animalis ita dispositi. Sic definitio in BLANCARDI Lex. med. tradita se habet. Quam varia illa et sui saepe plane dissimilis morborum epidemicorum facies sit, ex variis materiam morbosam generandi ac dispergendi causis, nec non ex variis corporum praedispositionibus, cuique terrae fere propriis, patet. Quis

unquam

unquam omnes varias epidemias enarrare poſſet, quibus iam immenſus hominum numerus ſublatus eſt. Ex variis tantummodo aëris viciſſitudinibus, quanta iam morborum epidemicorum varietas! Aer frigidus non raro morbos inflammatorios epidemicos gignit. Fortes ac robuſti Helvetiae incolae tempore hyemis pleuritidibus, anginis inflammatoriis vehementiſſimis corripiuntur, ut fere merito hiems iis verus inflammationum pater dici poſſet 13). Aer humidus non raro, ob impeditum tranſpirationis negotium febres, catarrhales epidemicas producit. Pari modo dyſenteria non raro epidemicus fit Antillarum et Helvetiae morbus, ſi poſt magnum aeſtum frigus humidum perſpirationem ſupprimit 14). Quis agmen morborum epidemicorum, variolarum, morbillorum etc. ignorat, furorem tertianae anomalae, malignae, putridae epidemice graſſantis etc. et horum iterum inter ſe connexionem et complicationem. Et haec eſt iſta difficilis, perſpicaciſſimi ac ingenioſiſſimi medici ingenium interdum fallens diagnoſis 15), cuiusvis nempe epidemiae proprium genium ac morbi rectorem cognoſcere ac denominare, quibus neglectis variae ſaepe hoc aevo obſervantur febrium epidemicarum ſpecies, quae nil aliud, quam variorum morborum complicationes uni tantummodo generi ſubiungendae ſunt, ut. cl. RICHTER nuper egregie probavit 16).

Non quidem negari poteſt, multos morbos epidemicos putridae indolis obſervari, aſt plures ſunt, quibus tamen ideo nomen non competit, dum non quaevis epidemia, quaedam tantum ſigna et ſymptomata cum febre vera putrida com-

13) ZIMMERMANN von der Erfahrung in der Arzneikunſt. p. 441. 444.

14) ZIMMERMANN l. c. p. 439.

15) LIEUTAUD, Ioh. Inbegrif der medic. Prax. T. I. p. m. 63. THOM SYDENHAM de febre ſtationaria opuſcul. Vniver. ſect. I. C. II.

16) RICHTER l. c. in der Vorrede pag. 4. Einleitung pag. 67.



communia habens, ideo ſtatim putrida appellanda et hoc modo tractanda ſit. Hic inprimis diſtinguenda eſt putredo, morbo cuidam demum ſuperveniens, ac in ipſo morbi decurſu emergens.

§. 10.

Poſtquam ſic notionem meam morbi epidemici in genere protuli, mentemque meam variis adlatis exemplis illuſtravi, iam ad verae putridae indolis epidemiae accuratiorem contemplationem me accingo. Quod, ut eo melius fieri poſſit, prius cauſas, ſigna ac ſymptomata huius morbi praemittenda ſunt, quo facto morbi ipſius facilior erit notio ac diſtinctio. Ad cauſas quod attinet, hic inprimis occaſionales in cenſum veniunt, cum praediſpoſitio modo maior, modo minor, in omni animali corpore praeſens ſit (§. 3.). Proxima autem cauſa ipſa humorum ad reſolutionem putridam inclinatio eſſe videtur 17). Inprimis ergo hic occaſionalium cauſarum attenta conſideratio neceſſaria eſt, quas ſcilicet, prout ipſe morbus communis et univerſalis eſt, communes quoque et univerſales eſſe oportet.

§. 11.

Nec difficile erit perſpectu, corporum externorum, ubique nos cingentium depravatam indolem univerſales quoque producere poſſe corruptiones ac deſtructiones: Et vero nulla eſt materia, quae magis et propius cum ſubſtantia corporis noſtri in contactum venit, quam aer, quippe qui non ſolum externam corporis noſtri tangat ſuperficiem, ſed quoque in ipſam fluidorum ac ſolidorum materiam penetret 18). Quam variis modis autem iſtud vitae noſtrae pabulum alterari ac vitiari poſſit, indicare, uti et morborum variorum, qui a ſpecificis aëris alternationibus oriuntur, ſpecies tradere, impoſſibile eſſet: Sufficiat hic quasdam tantummodo indicare

17) SELLE l. c. pag. 23.

18) GAVBIVS l. c. p. 422.

indicare aëris mutationes, corpori humano damnum inferentes et putredinem in eo promoventes ac foventes. Huc pertinet inprimis aër humidus, calidus, corruptus, particulis putridis repletus, elaſticitate et phlogiſto privatus. Aër humidus enervat hominem ſubito, et tardiori fluidorum circulationi, obſtructiones promoventi, anſam praebet. Relaxantur ſolida, ſecretiones cum difficultate quadam fiunt, perſpiratio non ſolum minuitur, multaeque ſic impuritates excernendae retinentur; ſed inhalatio et reſorptio ſaepe multo largior eſt. Fieri itaque non poteſt, quin viribus ideo ſuppreſſis, moleſtiſſimus laſſitudinis et debilitatis ſenſus aegros excruciet. Putredinis autem, ut ſupra dictum, matrix praecipue eſt aër humidus et calidus. Humiditas, relaxando ſolida, et perſpirationem impediendo, vires quidem proſternit, verum longe id maiori gradu efficit, ſi ſimul calor accedat. Pori corporis ab eo aperti humidas particulas eo facilius inſugunt ac reſorbent et hoc modo humores acrimoniae, deſtructioni ac putredini aptiores fiunt. Vix fere modus excogitari aut indicari poteſt, quo celerius et vehementius humorum putredo vix tandem coërcenda generari poteſt, ſi forte venena quaedam animalia et vegetabilia exceperis; ut adeo aër calidus et humidus verum morborum putridorum epidemicorum laboratorium non male dicatur 19). Aër humidus ac calidus tamen non ſemper eſt putredinis cauſa; vario quoque modo aër puriſſimus ac ſaniſſimus corrumpi ac particulis heterogeneis putrefactis et ad putredinem diſponentibus impraegnari poteſt. Et regni vegetabilis exhalationes ad putredinem vergere haud adeo difficulter probari poteſt, inprimis autem hic regnum animale et quidem iure accuſatur. In Hollandia Septentrionali aër per balaenas in littore putrefactas ſaepius inficitur. Magna minimorum piſcium copia in maris Adriatici littore putreſcentium, Venetorum aërem quoque vitiat 20). Exhalationes caemeteriorum ac corporum in bellis

19) ZIMMERMANN von der Erfahr. pag. 446. ſeqq.

20) VOGEL l. c. pag. 377.



bellis necatorum huc quoque referendae sunt. Sed et corpora corrupta regni vegetabilis aërem adeo vitiare possunt, ut putredinis causam constituere valcant. Scio quidem, pluribus videri aërem ex vegetabilibus corruptis eductum magis acidae esse indolis, et hoc modo putredini potius resistere, quam eam promovere debere; ast tristis experientia hancce opionem refellit, et exhalationes plantarum putrescentium non minus saepe corruptioni putridae favere docet 21). Huc quoque merito referenda censeo effluvia putrida post inundationes ab aquis stagnantibus 22) aut etiam a paludibus promanantia, praecipue si maior aëris calor aut aestus intensior accedat, particulasque magis evolvat et noxias reddat. Verum difficile esset, omnes illas noxas a depravata aëris qualitate pendentes recensere. Confer. HIPOCRATIS lib. de aëribus, aquis et locis.

§. 12.

Ex demonstrationibus chemicis patet, adesse quoddam acidum in aëre atmosphaerico, sub nomine acidi aërei notum. Omnia acida putredinem aliorum corporum avertere, sicque ei resistere, quotidiana satis docet observatio. Nonne igitur et defectus huius acidi aërei suum quoque in promovenda putredine conferrepossset? — Aërem saltem serenum, nec non acidis arte factis e. g. acetis imbutum, eiusmodi a putridis morbis prostratis aegris magnum ferre auxilium, iam dudum cognitum fuit. Sed copia acidi aëri tam parva hancce hypothesin obscurare paululum videtur, dum ex Cel. MAR-

21) Initio huius seculi in Collegio Wadham Oxoniis, febris admodum maligna magnum incolarum numerum e vivis eripuit, et, aliis collegiis ab hoc morbo liberis, medicos ad accuratiorem huius morbi causae disquisitionem impulit, quae inveniebatur in magna brassicae copia prope Collegium Wadham putrefacta, sublata causa tollebatur quoque effectus. Confer. Zimmerm. l. c. p. 489.

22) LANCISIVS de noxiis palud. effluv. L. II. C. 3. p. 138.



MARGRAVII inſtitutis experimentis pateat, ex CCXXV libris aquae nivalis, pauca tantummodo grana acidi cuiusdam ex ſalis communis et nitri acido perinilti, educta fuiſſe 23). Vitriolici acidi nil inerat. Quae cum ita ſint, vis antiputredinoſa aëris, ob acidum in eo haerens, vix locum hic mereri videtur.

§. 13.


Sed aliae adhuc ſunt univerſales epidemiae putridae cauſae. Alimentis, eſculentis et potulentis ad ſuſtentandam vitam noſtram neceſſariis ſane carere non poſſumus. Quodſi itaque haec deficiant, aut eorum indoles depravata ſit, et humores noſtros corrumpi, facile intelligitur, dum particulae acres magis evolvuntur, ipſosque humores diatheſi putrida inficiunt, aut eos ſaltem eo magis ad eam diſponunt, deficientibus ſcilicet particulis blandis diluentibus, noxiis vero eo magis concentratis. Triſtis profecto eſt recordatio morborum putridorum, vix ante tria elapſa luſtra, maximum hominum numerum in patria noſtra e vivis eripientium, dum ob caritatem annonae cibi laudabiles ſummopere deficerent, licet humida tum maxime et diuturna aëris temperies, magnam quoque, ad diram hanc luem, partem contulerit.

Sed et cibi quidam ſingulares interdum ab univerſali cauſa vitiati ac corrupti morbos epidemicos putridos producere valent. Non quidem me latet, eſſe paſſim viros eruditos, qui noxiam qualitatem clavorum ſecalinorum, de quorum origine varias opiniones eleganter adfert Ill. GLEDITSCHIVS 24) in dubium vocant; tamen unicum adferre exemplum non intempeſtivum iudico. Seculo XVI. et XVII.

C 2 iam

23) MARGRAVS Chemiſche Schriften T. I. pag. 282. 283. conf. VOGELS Chemie. 1775. pag. 70. Anmerkung.

24) Hiſt. Acad. Reg. ſcient. Berolin. An. 1756. p. 66. ſqq.



iam in Gallia ex clavis ſecalinis raphaniam ortum ſuum cepiſſe ſcriptum eſt: Scilicet panis hiſce clavis adulteratus ſingularem epidemicum fecit morbum, ubi corporis extremitates a pane, hocce veneno infecto atque aſſumto nigri erant coloris, ſecedebant a partibus ſanis et ſic unum poſt alterum membrum decidebat 25), manifeſto experimento, ex cibo depravato veram epidemiam putridam oriri poſſe. Deſcriptio quidem raphaniae, quam dat. Perill. a LINNE 26) magis fere ad morbos ſpasmodicos hunc morbum pertinere docet, verum de alia epidemia ſermo eſſe videtur, at tamen et in hoc ſymptomata morbi putridi adfuiſſe, inficiandum non eſt.

Quod potum attinet, ex aqua depravata, vermibus ac inſectis infecta ſaepius toti civitati ac regioni damnum illatum fuiſſe, exempla proſtant. Imbuitur inprimis aqua nociva quadam ac putredinem promovente natura, quae ex paludibus apportatur vel quae ſuper terram ſordidam, ſtercoream ac alcalinam fluit, aqua particulis haeterogeneis impraegnatur: ex hiſce plurium morborum epidemicorum cauſas derivari poſſe, affirmat cl. ZIMMERMANNVS 27). Inſecta ac vermes ſaepius pro cauſa, ſed minori iure, haberi, multae adſunt obſervationes 28).

§. 14.


Quamquam autem omnes iſtae aëris ac tempeſtatum mutationes variae multum ad talem epidemicum morbum conferant, tamen ſolam in iis cauſam non latere ex eo patet, quod, etiam ſi omnes ſaepius ſupra deſcriptae aëris mutationes obſerventur, tamen nulla exinde oriatur epidemia

25) ZIMMERMANN libro citato. pag. 507. ſqq.

26) Amoen. acad. Vol. VI. p. 430.

27) l. c. pag. 507.

28) ZIMMERMANN von der Ruhr etc. Zürch 1767. pag. 38. 39.



mia putrida: praeterea fatis cognitum eſt, aequalem aëris et caeli intemperiem non aequales producere morbos, et aequales faepe morbos inaequali caelo in lucem prodire 29). Sed fufficiant haec de externis epidemiae putridae caufis univerfalibus: de internis cuiusvis corporis caufis infra, ubi de fporadica putr. febr. paullulum agetur, pauca fubiungam. Paucis nunc decurfum talis epidemiae cum fignis ac fymptomatibus enarrabimus, prout a clariffimis auctoribus defcripta extant.

§. 15.

Non omne, uno eodemque modo aegros morbum hunc invadere res cuique notiffima eſt. Quidam absque ullis febris prodromis fubito corripiuntur, in quibusdam autem languor in omnibus actionibus et laffitudo fpontanea morbum praenunciat, inprimis ubi complicatio quaedam locum habet, defectus fomni reficientis, dolores lumborum, pondus quafi, in artubus tales fentiunt morbi candidati, foetor ex ore, obtufus capitis dolor ac ftupor, fufurrus aurium, magna ad fudorem proclivitas, calor et aeftus vario gradu alternans, naufea et conatus vomendi, vomitus: pulf. interdum in fubiectis robuftioribus in principio magnus, vehemens, durus, celer et frequens, praecipue inaequalis 30): plerumque vero parvus, mollis, debilis deprehenditur 31); magna caeteroquin pulfus varietas hoc in morbo obfervatur. Praecipue autem cognofcitur ex calore digitum tangentem quafi pungente, 32) quod iam GALENVS 33) pro figno diagnoftico habuit. „Nihil enim fuave, nihil mode„ratum, neque ephemeris fimile habet, fed quemadmodum „optime ante nos medici dixerunt, mordax potius quodam„modo eſt, ut laedat mordeatque tactum, veluti fumus „oculos

29) ibid. pag. 35.

30) Jod. LOMMIVS obferv. med. l. 1. pag. m. 4.

31) VOGEL l. c. p. 368.

32) BOERHAVE aphor. 731.

33) De febr. differ. L. 1. c. 9.



„oculos ac nares.“ Dum aegri tangitur manus, calor omni momento quaſi augetur; quod verbis minus diſtincte deſcribi poteſt, ut Ill. *van* SWIETEN notavit 34): melius hanc caloris diverſitatem ſentiet is, qui ſemel talium aegrotorum pulſum tetigit. Dolores capitis prementes, praecipue in baſi cranii, deliria circa veſperam, raro furioſa, manus tremulae, quae omnia, quo pulſus debilior, eo vehementiora obſervantur, maiusque periculum denotant. Subſultus tendinum, ſenſus interni raro ad morbi finem usque liberi obſervantur; omnes ſtupor invadit vel etiam hemiplegia ſupervenit, aut in aliis carphologia vel flocculorum captatio. Quod oculos attinet, hi, uti in omnibus morbis, praecipuum efficiunt ſignum. Deprehenditur in iis rubor, tumor, obnubilatio, rigiditas, in nonnulis illacrymatio. Palpebrae verſus canthum oculi externum magis pendulae triſtem ac turbatum reddunt aegri vultum, facies coloris terrei 35) oculorum, ut variarum corporis partium dolores, qui incautis facile imponere poſſunt, ut perperam morbum pro febre rheumatica habeant: Sitis inexplebilis cum oris amarore, lingua alba primum, dein nigra arida, calida, rubra, fiſſa, interdum humida, quod in periculoſiſſimo morbi ſtadio plenariam humorum denotat reſolutionem: dentes ſtridentes, tenaci ſorde obliniti, labia fiſſa, turgida; iugulum et quae iuxta ſunt partes internae et externae aeſtuant, unde praepedita aegri oratio. Vox debilis, auribus vix percipienda, interdum extinguitur. Sapor oris amarus, ructus nidoroſi, putridi, aër exſpiratus, tota aegri atmosphaera, et omnes excretiones odore gravi et fere cadaveroſo imbutae, quae cuncta ſummum, in quo aeger verſatur, periculum indicant; eoque magis, ſi hypochondria tenſa, inflammata et tumida ſint, quae cum aliis periculoſiſſimis ſymptomatibus

34) *van* SWIETEN l. c. T. II. p. 424.

35) VOGEL. libro cit. T. I. p. 369.

matibus coniunctis, pro lethali signo habenda 36). Vrina varia, foetida, turbida, crassa, rubra, cruda, sine sedimento, interdum cum sedimento latericio, vel etiam coloris obscuri fere ad nigricantem accedentis etc. Alvus aut omnino obstructa, aut saltem dura, atque rara, deiectiones nigrae, viridescentes, sanguineae, foetidissimae: interdum diarrhoeae frequentissimae morbo finem imponunt: venter nonnullis intumescit, et percussus, ut tympanum sonat 37). Per vomitum et alvum saepius plures lumbrici ac vermes excernuntur 38); sudor matutino tempore, quamvis levissime corpore tecto absque levamine prorumpens. Sanguis resolutus, non coagulatur, ob glutinosae partis destructionem, serum rubicundum, in superficie interdum membrana phlogistica haeret variae indolis, sub qua materia pultacea viridescens latet. Odor interdum sanguini putridus. Tum autem ad ultimum ve̱ctum esse cognoscitur. Ob summam humorum depravationem ac resolutionem et solidorum laxitatem sanguis per omnia corporis colatoria penetrat, ita, ut quam frequentissime haemorrhagiae narium vix coercibiles, interdum etiam sudor cruentus, lacrymae cruentae et variae stillae cruentae ceu mortis nuncii apparent.


§. 16.

Non raro post quartum diem exanthemata ac pustulae in cute efflorescunt, quae neque criticae, neque semper et in se spectatae periculosae sunt indolis: huius generis sunt petechiae; purpura alba, aphtae. Variorum horum exanthematum descriptiones, ob paginarum angustiam, locum hic vix

36) BOERHAVE et *van* SWIETEN l. c. p. 440.

37) LOMMIVS l. c. p. 4. conf. SCHROEDERI histor. febr. biliosopituitoso-putridae, quae ab initio mens. Decembr. 1783 ad finem usque mensis Aug. 1784. in variis Hassiae regionibus epidemice grassata est: pag. 12. 13. 14.

38) ibid. pag. 13.



vix inveniunt, ſufficit igitur ex his maius vel minus determinare periculum. In univerſum coloris hic habenda eſt ratio, quo enim obſcuriores, eo perículoſiores petechiae, lividae igitur et nigrae periculoſiſſimae: interdum copioſiſſime apparent abſque ullo levamine. Sed tam parvae quodammodo et cuti unicolores ſunt, ut oculis noſtris ſe ſubducant: non raro poſt mortem demum erumpunt. Sedes in univerſo corpore, praecipue in collo, pectore, dorſo, inprimis intra carpum et olecranum: haſce petechias interdum purpura alba comitatur: aphthae fauces ſaepius occupant; quae, ſi cruſtam craſſam, nigreſcentem formant, periculoſae omnino dicendae ſunt, cum multa aegro inferant incommoda. Haecce exanthemata, ſcilicet purpura alba ac aphthae praecipue in febribus bilioſo-putridis obſervantur.

§. 17.


Ex omnium horum ſignorum ac ſymptomatum recta contemplatione ac diiudicatione prognoſis formanda erit. Duratio et decurſus morbi varius et indeterminatus eſt. Terminatur a die 3 usque ad 20, immo et interdum ad 40 protrahitur. Eſt ſcilicet pro differentia cuiusvis Epidemiae, etiam ipſis hiſce morbis ſua differentia. Dies 9. 11. 14. 20 a plerisque Practicis pro periculoſiſſimis habentur. In hoc vero omnes conſentiunt, morbum hunc iam in ſe nunquam periculo carere, et acutum, imo interdum acutiſſimum eſſe, et rapida quadam celeritate progredi et increſcere. Atque haec ſunt, que clariſſ. ac peritiſſimi horum morborum deſcriptores LOMMIUS, van SWIETEN, VOGEL, RICHTER, LIEUTAUD, LUDWIGIUS V. C. et alii plures de huius morbi ſignis ac ſymptomatibus prodidere, quae cum non ſemper omnia ſimul oculis noſtris tam manifeſte ſe offerant, perſpicacis ac philoſophici medici eo magis egent ingenio cum ex inſufficiente ſignorum conſideratione et collatione, hincque falſa ipſius morbi diiudicatione longe maius ipſi aegro periculum

culum aut damnum immineat. Verum ex enarratis hucusque omnibus huius morbi ſignis facile ſimplex febris putrida cognoſci ac ab aliis diſtingui poterit. Aſt cum raro absque complicatione cum aliis morbis, inprimis ſi ipſe morbus epidemice graſſetur, occurrat, neceſſe eſt, ut variorum ſaepius cum hoc morbo complicatorum morborum ſigna ac ſymptomata ſubiungamus, quo facilius ipſe morbus in ſe ſpectatus cum ſymptomatibus ſuis, a coniunctis morbis eorumque ſymptomatibus dignoſcatur.

§. 18.

Praeprimis hic febris maligna attentenda eſt, cum qua non raro morbus noſter complicatus apparet et quaſi morbum quendam intermedium conſtituere videtur. Differentiam igitur horum morborum ac modum diſtinguendi a ſe invicem pauciſſimis hic addemus verbis: *Termino malignitatis* variam ſignificationem plures ſcriptores tribuunt eumque non omnes eodem ſenſu ſumunt. Quidam olim ſub morbis malignis nil aliud comprehendebant, quam varias febrium exanthemicarum cum periculo coniunctarum ſpecies, ſic e. g. Purpura maligna, variolae malignae, morbilli maligni allegabantur. Exanthemata pro criſi declarabant: hacce opinione ducti omnem curationis cardinem in eo verti putarunt, ut exanthemata expellerentur, et tranſpiratio promoveretur: ſudorifera igitur calida et ſic dicta alexipharmaca porrigebantur, ut, quod neceſſarium maxime videbatur, venenum de corde depelleretur, ſubiuncto adhuc regimine calido. Sed tantum aberat, ut hacce methodo aegri ſanarentur, ut potius triſtiſſimus ſaepe eventus ſequeretur. Hinc factum eſt, ut malignitatis notio ſeu vocabulum et medendi methodus huic opinioni ſuperſtructa humano generi longe ipſa Pyrii Pulveris inventione nocentior a SYDENHA-


 MO



MO dicta sit 39). Alii sub febribus malignis eas comprehendunt, in quibus symptomata periculosa, pertinacia, ac funesta conspiciuntur, quae remediis alias efficacissimis nec cedere volunt, nec mitigari possunt. Alii et quidem plurimi clari viri nostris temporibus febres malignas ac nervosas pro iisdem declararunt, nec esse inter eas quandam differentiam statuerunt 40). Licebit mihi hic, tum ea, quae ex lectione et collatione plurium autorum, tum etiam passim ex ipsa mea observatione attenta cognovi, subiungere, paucissimis meam adiicere sententiam, ut quae mihi esse videatur differentia inter febrem malignam in genere et febrem putridam proprie sic dictam, clarius appareat. Sub febre maligna nempe seu nervosa nil aliud intelligitur, quam febris a summa totius systematis nervorum debilitate pendens, cuius causa in subtilissima morbosa materia latet; etsi determinare non ausim, an ipsa materia nervea noxia hac substantia infecta sit, an vero haec ipsa materia motum saltem naturalem materiae nerveae turbando haec symptomata producat. Invasio morbi absque periculo esse videtur, interdum plane non sentitur: mentitur initio morbum benignum. Signa pathognomonica huius morbi sunt: summa debilitas in omnibus actionibus, pulsus parvus nec nimis frequens, nec nimis tardus, plerumque fere naturalis, semper vero maxime debilis. Nil aegri timent, nil illis gaudium affert, vixque ulla re vel grata vel ingrata afficiuntur: stupor ingenii, leviora interdum deliria. Haec sunt, quibus febris haec maligna a putrida proprie sic dicta, aliquantum mihi differre videtur: in putrida febre resolvitur sanguis et corrumpitur: subito aegros invadit, nisi cum febre maligna seu nervosa coniuncta sit, aut haec illam praecedat: Summa quoque debilitas, sed diversa valde ab ea

39) SYDENHAMI opera T. I, p. 370.

40) RICHTER l. c. p. 90. VOGEL l. c. T. I. p. 194.




ea febris nervoſae, quae maxime fere ſe in actionibus animalibus exſerit: debilitas cum pulſu celeri, duriusculo; calor digiti tangenti moleſtus, perpetuo moleſtior: foetor excretionum, haemorrhagiae: omnia haec vix talia prorſus in nervoſa febre conſpiciuntur, niſi ambae coniunctae ſint. Sed a ſumma ſanguinis corruptione ac reſolutione et materiae nerveae et motum et debitam ſecretionem turbari, neceſſe eſt. Quod ſi igitur quaedam ſimul ad febrem nervoſam praediſpoſitio corporis adſit et febrem nervoſam cum putrida coniungi, vel etiam alteram in alteram tranſire poſſe, facile eſt perſpectu, id quod experientia quoque docet; nam plerumque febr. putrida complicata eſt, et quidem cum febre maligna: ex quibus saepius maligna, ſaepius putrida manifeſtiora ſigna ac ſymptomata exhibet. In hisce morbis complicatis curandis medicamenta cuique morbo per ſe oppoſita ſecundum artem iungenda ſunt; ita ut cuique indicationi ſatisfiat: quod multis ſaepius difficultatibus ſubiectum eſt, et medici acutiſſimum ingenium expoſcit, eoque magis, cum febris malignae curationis methodus aliquantum differat a medela febris putridae. Sed cum propoſitum meum nunc non ſit methodum medendi his febribus exponere, neque ea medicamina in quaque febre adhibenda indicare, relinquimus haecce ſuo loco et ad aliam tranſimus complicationem cum febre putrida ſaepe obviam.

§. 19.

Eſt ſcilicet haec ea complicatio, dum ad febrem putridam adhuc biliosa accedit vel cum ea coniuncta eſt. Non raro in febre putrida fomes morbi in primis viis haeret; ibi bilis corrupta, putrefacta morbum complicatum reddit (§. 6.) idque vel ſtatim a morbi invaſione, vel in poſterum

 demum

41) RICHTER l. c. C. 6. Von den Faulfiebern pag. 99.




demum emergit. Plures morbi epidemici putridi huius ſunt indolis: Signa pathognomonica febr. bilioſae ſunt: ſapor amarus in ore, lingua ſqualida, ſordibus oblinita virideſcentibus, averſio a nutrimentis, praecipue ex regno animali, vomituritio, vomitus; oculi albuginea tunica in flavedinem vergens, ſomnus vel deficiens, vel ſopor. Quodſi igitur ſigna febr. putridae coniuncta apparent cum hisce ſignis; morbus quoque putridae ſocius iudicandus eſt, ſuamque propriam requirit medendi methodum. Vomitoria repetita, reſolventia, incidentia, evacuantia febr. bilioſam ſaepius ſatis brevi temporis ſpatio tollunt aut inſigne illico levamen afferunt, quae, ſi quis cum antiputredinoſis medicamentis coniunxerit, apto modo ac iuſta ratione, veram cum natura complicationis convenientem adhibet medendi methodum. Huc quoque iure referri poſſe febr. pituitoſo-putrida mihi videtur, cum et ſedes in primis quoque viis ſit, et eandem fere medendi methodum exigat ac in febre bilioſo-putrida adhibetur. Lingua ſqualida, alba tecta pituita, fauces quoque obſidente, copioſae excretiones pituitoſae huncce morbum ab aliis diſtinguunt et hanc complicationem manifeſtant. Oritur ab indigeſtione et cruditatibus viſcidis, diaeta inconcinna, aëre humido ac frigido. Satis frequenter harum febrium occurrunt complicationes, in quibus ſcilicet illa cum febre nervoſa coniuncta eſt, dum a nervorum debilitate quoque organa digeſtionis imbecilliora reddita, functiones praeſtare nequeunt. Eandem ob cauſam et cum febre putrida complicata coniungitur ſaepius.

§. 20.

Topicas inflammationes ſaepius febrem putridam concomitari, experientia docet. Tales ſunt inflammationes meningum, faucium, pectoris, viſcerum abdominalium etc.

Cauſae




Causae huius complicationis variae, in quibus allegandis et explicandis tamen inprimis aetatis, habitus, temperamenti, vitae generis etc. aut etiam methodi medendi ineptae antea adhibitae habeatur ratio. Cognoscitur autem iste morbus socius ex pulsu magis pleno, duro, reliquisque sat notis inflammationis signis. Plerumque larga narium haemorrhagia levamen affert; sed etiam paucam sanguinis e naribus effusionem levamen tulisse, compertum est. Vel statim ab initio coniunctus apparet morbus, quo in casu facilius ex suis signis cognoscitur ac manifestatur; difficilior autem res est, si in ipso febris putridae decursu demum febris inflammatoria accedat. Pulsus tum est parvus, durus, lingua arida, genae rubrae, dolor fixus pro sede inflammationis, reliquaque symptomata cuique inflammationis speciei propria, atque sic perspicacissimi tantum medici ingenio claritatem ac facilitatem in cognoscendo et diiudicando morbo procurant: saepius post mortem demum ipsius diagnoseos certitudo clarius elucescit: Quamvis huius complicationis species saepius observatur, tamen plerumque cum febre biliosa coniuncta est: ideoque in grassante febre epidemica putrida, saepius febr. inflam. bilioso-putrida pro aegrotantium constitutione ac praedispositione accedit.

§. 21.

Sufficiant haec de variis complicationibus febris putridae. Omnes istas complicationes, quarum maxime frequentes sollummodo allegamus, iterum inter se vario modo coniungi experientia docet. Huius indolis erat febris in variis Hassiae regionibus ante biennium epidemice grassans a. Cl. SCHROEDERO descripta 42). Erat nempe febr. bilioso-

pituitoso-

42) Th. Guil. SCHROEDER hist. febr. bilioso pituitoso-putrida etc.



pituitoſo-putrida. Et quis omnes iſtas varias complicationes enerarre auderet, quae in epidemico graſſante morbo obſervantur! Multis in morbis complicatis, praecipue, qui in principio fere febres catarrhales aut etiam inflammatoriae eſſe videntur, putrida febris demum ſupervenit, et quidem varias ob cauſas, vermes necati, foeces non excretae, putrefactae, munditіes neglecta et inde nata putrida effluvia, epidemico morbo ſupervenientia, ſat amplam praebent occaſionem ad ipſius febris putridae acceſſionem. Et in hoc cardo philoſophiae medicae vertitur, ut probe dignoſcatur, quisnam ſit morbus primarius, quis demum ſuperveniens, quale morbi ſtadium, an invaſionis, an exacerbationis, an declinationis etc. Male ſane res ſuas ageret Medicus, qui plurimis aegris ſanandis ſtudens, omnibus idem praeſcriberet medicamentum, quamvis omnes uno eodemque laborarent morbo epidemico? Quodſi talem haberet epidemia typum vel tale ſchema, ut e. g. tempore exacerbationis inflammatoria febris ſe putridae aſſociaret, quae antea non aderat: in turpem profecto errorem incideret Medicus, ſi aegro ſuo invaſionis ſtadio ſeu tempore praeludii ea porrigeret remedia, quae alteri aegrotanti exacerbationis ſtatu ſummo cum fructu ſuadet? Patet igitur ex hisce, medico in curando morbo epidemico vel ſimplici vel complicato, ſemper ad ſtadia ſeu morbi tempora et ad indolem morbi accedentis maxime reſpiciendum eſſe.

§. 22.

Nil amplius reſtat, quam ut de ſporadica febre putrida pauciſſima tantummodo ſubiungamus. Quoad ſigna ac ſymptomata cum epidemica graſſante convenit. Diverſae tantummodo cauſae ſunt: Epidemicum morbum a cauſa quadam communi, univerſali, inprimis ab aëris vitiata conſtitu-




ſtitutione ortum capere (§. 9.) indicavimus. Sporadicam autem febrem putridam ex partiali quodam commiſſo diaetae errore et ex praediſpoſitione corporis ad talem corruptionem enaſci, facile perſpicitur. Aër noſodochiorum, carcerum, ſtagnans, impurus, non renovatus hunc morbum producere valet in uno alterove ſubiecto tali aëri expoſito: Vermes necati, ſubitanea aëris calidi et frigidi, aut frigidi et calidi alterna mutatio, defectus cibi et potus, vel etiam alimenta qualitate ſua peccantia, ſuppreſſa excrementorum reiectio, pathemata animi validiora, morbi alii praegreſſi in putredinem vergentes, e. g. caries, gangraena, ulcera ſordida, fomites cancroſi huncce morbum in ſingulis ſubiectis procreare valent. Omitto plures alias cauſſas, quae utique in ſubiectis praediſpoſitis febrem putridam ſporadicam producere ſolent.

Pari modo febr. putr. graſſans contemplanda eſt: morbi graſſantis notionem in genere dedimus (§. 8.), ex quibus huc relatis facile et notio febr. putr. graſſantis patefiet. Cauſae nempe ſiſtunt plurium individuorum vitia uno eodemque modo commiſſa: Sic e. g. ſi plures milites feſtinanter adeo magna itinera, fervida aeſtate faciant ſicque vehementer corpus exaeſtuent, tumque ſubito in caſtris quieſcentes, refrigerium patiantur, oritur inde in multis ſubiectis febris quaedam putridae indolis, quae graſſans quidem dicenda eſt, verum quam ideo epidemicam dicere nollem.

§. 23.

Pauca haecce de vera febr. putr. notione ſufficiant; ſcio equidem probe, longe plura adhuc tum in allegandis cauſis, tum in enarrandis ſignis ac ſymtomatibus morbi huius adeo frequentis et ſontici addi potuiſſe, quae tamen,



men, tum ob virium mearum tenuitatem, tum, ne pagellarum harum limites excederem, hic omittere necesse erat, eiusque rei veniam a B. L. peto et exspecto.

Quod medendi methodum attinet, nullus huic hic restat locus, cum omnium medicamentorum disquisitio ac medendi rationes sat amplam praeberent materiem, proprium de hacce re conscribendi libellum. Sufficiat saltem nomina consuetissimorum ac usitatissimorum et, si tempestive et debito modo adhibeantur, maxime efficacium remediorum hic allegare: In simplici febre putrida i. e. non complicata cum aliis febribus, salia media, acida vegetabilia, mineralia, cortex peruvianus, alumen in corrigenda fluidorum ac solidorum depravatione palmam obtinent; sic, si saburra in prim. viis observatur vel si suspicio minima tantummodo adsit, vomitoria praecipue in principio adhibita, et evacuantia per alvum saepius cito aegri statum in melius mutant.

Si febris, de qua loquor, putrida cum nervosa coniuncta esset, remedia huic febri contraria cum supra enaratis apto modo iungenda sunt: inprimis hic effectus moschi, camphorae, salium volatilium, serpentar. virgin. contraiervae, vini et aliorum antisepticorum et cardiacorum praestant. In genere autem certum est, longe difficiliorem esse medicamentorum selectum in statu complicato: et inde patet, quam necessarium sit medico, ut, contempletur constitutionem epidemicam, quarum quaevis ab altera differt, ac proprium suum habet quasi rectorem, qui a particulari quadam, ac nondum satis cognita cuiusdam anni constitutione et aliis forte accedentibus caussis pendet, et morborum accedentium typum quasi constituit et determinat

nat per totam conſtitutionem, et qui idem eſt, cum febre ſtationaria Sydenhami, de qua variis locis loquitur 43).

§. 24.

Haec eſt notio quam mihi de vera febre putrida formavi, partim ex ipſis meis, quamvis non adeo numeroſis adhuc obſervationibus, partim autem ex iis, quae praeceptorum meorum, aliorumque clariſſ. virorum et ſcriptis et colloquiis vidi, legi et audivi. Num ſigna haecce omnia et ſingula, quae ad exactam febris putridae diagnoſin requiruntur, tali modo propoſuerim, ut res ipſa manifeſtiſſime elucefcat, aequae Benevoli Lectoris diiudicationi lubens committo. Me cuncta haec ſic explicuiſſe ut deſiderari amplius nil quidquam poſſit, non quidem mihi temere abblandior; id tamen ſperare iuvat fore, ut auſus mei iuveniles non prorſus diſpliceant, laborque meus, in quo praecipue ſententiam meam clarorum Virorum teſtimoniis confirmare conatus ſum, non penitus improbetur, in quo ſolamine tironi in primitiis laborum verſanti commode ſane puto aquieſcendum. Quod ſi enim, quae diem docet, dies et experientia etiam me plura docuerit, non ſic ab auſu, et ea cum Erudito orbe communicandi deterreor.

TANTVM.

43) SYDENHAMI Opera T. I. l. II. de morb. epidemicis. p. m. 22. In Tractatu de hydrope poſtſcripto. pag. m. 248. et multis aliis locis.



THESES.

I.

Membrana ſic dicta phlogiſtica nullum certum inflammationis ſignum.

II.

Eſt quaedam analogia inter febres intermittentes et negocium menſtruum, tum ratione cauſae, tum ratione effectus.

III.

Exanthemata febris ſcarlatinae, purpurae, tum benignae, tum malignae, peſtis et aliarum febrium raro egent auxilis medici, plerumque nullo. ?!

IV.

Summa debilitas in febribus putridis malignis non eſt vomitorii contraindicans.


V.

Inter auxilia medici, quoque morbi referendi ſunt.

VI.

Qui ſomno meridiano utuntur, plerumque apoplexia moriuntur.

VII.



VII.

Non omnes aegri ſunt ſanandi, aſt omnes morbi curandi.

VIII.

Non dantur vermes in dentibus carioſis.

IX.

A motu ſanguinis in corpore noſtro ad vitam hominis non valet conſequentia.

X.

Non ſunt nati, qui medicis carere valeant.

XI.

Non dantur certa ſigna partum felicem pronunciantia. Neque ex ſitu infantis, neque ex bona pelvis conformatione, neque ex tangente digito medicus certus de eo reddi poteſt: ſemper in dubio eſt.

XII.

Vaſa cuprea nullum ſanitati damnum inferunt, niſi acidum quoddam minerale in eo contentum fuerit; magis abſtinendum a vaſis ſtanneis.

XIII.

In praeſcribendis medicamentorum doſibus non in aetatem aegroti reſpiciendum eſt. Sola irritabilitas conſideranda eſt.

XIV.

Quisque homo medicus.
